

## 5/

*De expulsionem a Societate*

FACTI SPECIES. - Dominus X, expulsus a « Societate de Saint Vincent de Paul », utpote modernismo infectus, die 25 octobris 1968 recursum interposuit apud Congregationem pro Clericis. Haec autem libellum, ratione competentiae, ad Consilium de Laicis transmisit; sed Dominus X, recursu d. 19 martii 1969 ad Signaturam Apostolicam misso, suspicionem movit adversus integritatem fidei membrorum Consilii de Laicis, simulque petiit ut Supremum Tribunal de sua quaestione videret.

DECISIO. - Die 24 martii 1969 Signatura Apostolica recurrenti respondit se competentem esse solummodo circa contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae, et ad eam, ob interpositum recursum adversus decisionem competentis Dicasterii, delatas, ut habet art. 106 Const. *Regimini Ecclesiae Universae*. Quapropter, si recursus respicit disciplinam, debet adiri Consilium de Laicis; si, e contra, respicit doctrinam, debet adiri Congregatio pro Doctrina Fidei.